



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Vers. 17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

adferri potest. Pueros ab Apostolis repulso. Vt grandioribus sanandis instruendisq; locus & tempus esset. Non enim operæ precium videbatur, tot vndique circumfusus turbis benedicendo paruulis Dominum occupari. Verum Christus cui omnia agendi & loquendi momenta in numero erant, demonstrare voluit, quanto in precio paruulorum innocentia sit coram Deo.

VERSUS 16.

Etece vnus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam?

QUESTIO I.

Qualis adolescens ille fuerit?

§. 1. Non est ille qui Lucæ 10. v. 25. eadē Dominum quæstione pulsât: ille enim legis peritus erat, & carpendi, calumniandi quæ animo interrogabat, hic genu flexu accedit, & sincere viam salutis inquit. Sine causa igitur eum accusant Sectarîi, & hypocritam fuisse comminiscuntur. Nam audito responso de abdicandis bonis tristatur, quod non faceret, si per ludibrium de salute inquireret. Excusat eum etiam Marcus; nam Iesum intuentum eum, ait & dixisse, non igitur tentator accessit. Venit ergo animo salutis cupido, sed ad perfectionem consequendam & consilia Evangelica nondum firmato. Syrus habet, & venit quidam accedens & dixit *ܠܡܢܐ ܥܬܐ ܕܗܕܝܪܐ*. Venit vnus appropinquans: Per turbam enim sese infundebat, vt esset proximus, atque in genua prostraret. Magnus certe progressus, inter inimicos Domini salutis præcepta à Christo publicè & suppliciter petere. Præsertim cum vt Lucas. cap. 18. vers. 18. habet princeps esset, hoc est, magnæ æstimationis & auctoritatis inter populares. Caluinus aliam amoris causam adducit. Næpe externam iustitiæ speciem: sic Aristidem & Fabricium ait Deum & odio habuisse, & amasse, odisse cor impurum, amasse iustitiam externam eorumque in commune bonum. alio plane spectat Christi dictio. Externam illi iustitiam non potest tribuere Caluinus, qui negat minimo gustu vnquam concipisse, quid sit domare carnis cupiditates. Deinde cum illa profiteretur, & vt Caluinus putat superbe se iactaret, de falsa iustitia, odisse debuit. Quid vero singulare est, cum dicitur Christus adolescentem intuitus dilexisse, si ob dona naturalia periturum dilexit, sic omnia quæ fecit diligit, sic omnes impios, etiam demones amat. Hac ergo de re nulla erat, nec esse poterat dubitatio. Chrysostomus omniæ suspicionem simulationis ab eo remouet, quia amasse eum Dominus dicitur à Marco. Nonnulli huic homini quasi fraudulento & nequam detrahunt temptationis gratia accessisse ad Iesum affirmantes: ego vero habendi quidem cupidum atque auarum non negarim. talem enim ipsum fuisse Christi verbis declaratur: Subdolum autem & simulatorem nunquam dixerim. Partim quia non debemus quod incertum est, maxime in criminibus, quasi certum asserere: partim quia hæc de ipso suspitionem Marcus remouit: ait enim: Quoniam accurrens, & genua flectens rogabat eum, & quod Iesus intuitus illum, dilexit eum.

Caluinus itaque suo more maleuolus est, cum Dominum autorem non alio modo interpretatur. Quis enim nescit, Deum omnia quæ creauit amare, & nihil

Adami Gen. 1. in Ed. ang. Tom. I.

eorum odisse quæ fecit, hoc loco autem alius quidam amor ob alias causas indicatur.

VERSUS 17.

Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.

QUESTIO I.

An Christus se neget bonum, eò modo quò Deus est bonus?

§. 1. Noster interpres legit: Quid me interrogas de bono? *Τί με ἐρωτᾷς καὶ ἐγὼ ἀγαθόν*. quæ lectio est in multis veteribus. Origenes vtramque lectionem proponit. Nec interpres noster nisi ab imperitis potest accusari: cum hæretici etiam fateantur antiquis in codicibus nostram lectionem haberi; Syrus tamen habet: quid me dicis bonum? vt etiam Hilarius, Chrysostom. Gaudens. in 9. Exodi. Lucas & Marcus habent; Quid me dicis bonum? Vtrumque dixit. Nam & bonum Christum dixit, & de bono interrogabat.

§. 2. Ariani friuolè illa verba captabant, ad Christi diuinitatem impugnandam. Nec minus se illis sancti Patres opposuerunt; adolescentem enim à quo bonus dicitur, reprehendit: Nam solus Deus inquit bonus est. Hoc est, verè & naturā, seu vt Theologi interpretantur, per essentiam. Nam more creaturarum si bonum nullo modo negaret, qui tam serio se absque peccato esse profiteretur. Si igitur titulum bonitatis qua Deus est bonus abnegat, certè non est Deus.

Respondendum est Ariani, multum abesse, vt se bonum, aut Deum Christus neget, potius enim affirmat. Adolescens ille Christum Deum non arbitrat, communi illum, sed honorifico titulo compellat, quo gaudebat scribæ, & Pharisei, nec alio sensu Christum appellat Magistrum bonum; Christus errantem corrigit. Quid, inquit, me bonum dicis, more hominum, solus Deus bonus est, ego autem Deus sum multo excellentiore modo bonus, quam tu existimas. Error igitur in animo tuo insidet, cum bonum me dicis, nec tamen quomodo bonus sum intelligis. Quod si igitur putum hominem existimat, elogium bonitatis, quod proprie Deo conuenit, tribuere non debet.

§. 3. Deus nullius boni participatione bonus est, quoniam bonum quo bonus est, ipse sibi est: August. Epistol. 54. Idem Augustin. lib. 3. contra Maxim. Arian. cap. 23. Rectè me appellabis bonum, si me noveris Deum. Nam quando me nihil aliud quam hominem putas, quid me dicis bonum? Non te facit bonum, nec beatum, nisi bonum immutabile, quod est solus Deus. Cyrillus lib. 2. Theofaur. cap. 1. cur ad hominem solummodo venis, & quod Deo naturaliter inest, mihi attribuis? Vnus est naturā bonus, Deus videlicet, si ergo me credis Deum esse, atque adeo bonum, quid quasi ad hominem venis? sin autem Deum esse non putas, sed hominem solummodo, quare quod soli Deo attribuitur, homini accommodas? Et D. Hieronym. Non renuit Saluator bonitatis testimonium, sed magistri exclusit errorem. Et Ambros. in Lucam: Magistrum bonum dixit iste, qui Deum bonum dicit

Et h.

Et h.

crede debuisse. addit Chrysost. Christum tanquam hominem respondisse, adolescentem adulationis vitio liberare voluisse, se autem illi non venelasse.

§. 4. Ne tamen ex verbis Christi hæsitacionis ansa à quoquam rapiatur, quid olim S. Athanasius hac in materia veratissimus responderit ostendam. Ille *ὁ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς γεννητός* de apparitione verbi in carne. *ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ πατρὸς ὁμοούσιος* ὡς δὲ *ὁ πατὴρ* ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, ὅπως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ; ὡς πατὴρ ἔστι Φῶς καὶ οὐδὲν ἔσθ' ὅπου τὸν λαμβάνοντα, καὶ τὸ μὴ λέγειν ἀρχὴν; Φῶς γὰρ ὁ ἀρχὴς εἰ μὴ εἰς ὁ θεός. καὶ περὶ τοῦ θεοῦ μὴ ἴνα τιμὴ ἐγκρατέλιτος; Torquent enim & in flexu sese agunt hæc verbis: *Qui fieri possit, ut similis sit Patri, aut filius ex substantiâ Patris, quum scriptum sit. Quemadmodum vitam habet Pater in semetipso, ita quoque dedit filio vitam habere: quum altior sit dignitas datoris, quam accipientis. Et, ne me bonum, (inquit) dixeris: nemo est bonus, nisi vnus Deus: Et rursum, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?*

Christus secundum humanitatem non est bonus, ut Deus.

Respondet ille. καὶ ὅταν λέγῃ, διὸ καὶ ὁ θεός αὐτὸν, ὡς πατὴρ υἱὸς καὶ ἐκράτιστος αὐτοῦ ὄνομα, καὶ τὰ ἑξῆς *ὁ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς γεννητός*, ὅστις τὸ σῶμα αὐτοῦ. καὶ ὁ υἱὸς τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ἀλλ' ἡ σὰρξ ἡ υἱοῦ αὐτοῦ. καὶ τὴν σὰρκα ἡ ὁφείσας ἐκράτιστος ὄνομα τὸ ὡς πατὴρ ὄνομα καὶ ἔχῃ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ καὶ χάρις ἐλαβε τὸ καλεῖσθαι θεόν. ἀλλ' ἡ σὰρξ αὐτοῦ αὐτῷ αὐτοῦ ἐξομολογῆται. καὶ ὅτι πᾶν ὅτι ὁ λόγος τοῦ θεοῦ γέγονεν, ἀλλὰ ὁ θεός αὐτὸν ὁ λόγος. Et quum dicit. Ideo superexaltavi eum Deus & donavi illi nomen quod est super omne nomen, de templo loquitur, quod est corpus eius, non enim qui altissimus est, exaltatur, sed caro eius exaltatur, carni que suæ, altissimi nomen donavit, quod est super omne nomen. Neque verbum Dei donatiuâ ratione hoc nomen accepit, ut Deus vocaretur, sed caro eius cum ipso simul Deus appellata est; Non enim dixit, verbum Deus factus est, sed Deus erat verbum.

Addi tibi libet, & de eodem loco disputationem, quæ est dialogus 1. Athanasii inter Orthodoxum & Anomæum Arianiſtam. Anomæus. Nullâ igitur aliâ re differt Pater à filio? Atqui scriptum est. Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi vnus, nempe Deus. Orthodoxus. Filius igitur non est bonus? Anomæus. Ipsemet dixit: Quid me dicis bonum, Nemo bonus nisi vnus, nempe Deus. Orthodoxus. Viden' ut & te dixerim tunc fore te Christianum, quum falsus fueris filium esse Patri coessentialem? Anomæus. credo me Christianum esse. Orthodoxus. Si Christianus esses, non negares filium esse bonum. Anomæus. Bonum non esse non dixi, sed eum dixisse, Nemo bonus nisi vnus nempe Deus. Orthodoxus. bonitate igitur dicis differre Patrem à filio? Anomæus. Ipsemet dixit, quid me dicis bonum? nemo bonus nisi, vnus nempe Deus. Orthodoxus. Non dixit, Ne me bonum dicito, sed, quid me dicis bonum? Anomæus. Quænam vero differentia est inter illud, Ne me bonum dicito, & illud quid me dicis bonum? Orthodoxus. Magna. Anomæus. quænam? Orthodoxus. Illud ne me dicito bonum, bonitatem tollit, istud vero, quid me dicis bonum? perinde est atque, quorsum me dicis bonum, nec me confiteris Deum esse ut & illud, quid me compellatis, Domine, Domine, nec facitis quæ dico: Quoniam igitur ille Doctorem eum nominans, ad eum accesserat, ut ad eum quinihil aliud, quam homo esset, propterea inquit, Quid me bonum dicis? non credens quod sim Deus? Nullas enim bonus, nisi vnus, nempe Deus. Anomæus. dicimus & nos ipsum bonum esse, sed non ita bonum, ut bonus est Pater. Orthodoxus. atqui non dixit, Nemo bonus nisi vnus Pater, sed, Nemo bonus est, nisi vnus, nempe Deus. Tu vero dicis

personæ quoque respectu, differre bonitatem Patris à bonitate Filii. Num igitur existimas quippiam malum immixtum esse bonitati filii, eoque à bonitate Patris differre. Anomæus. absit. Non dico malitiam quippiam immixtum esse bonitati filii, verum Patris bonitatem differre à Filii bonitate. Orthodoxus. sed bonitas à bonitate nihil differt, quatenus est bonitas. Anomæus. An non vero Dei bonitas differt ab ea bonitate, quæ nobis est? Orthodoxus. nempe alia quædam est nobis bonitas, quam Deus ipse Anomæus. Idcirco igitur & Græci habentne Deum in se? Orthodoxus. Imo ne is quidem Deum habet in se, qui simpliciter dicitur Christianus: sed is demum habet, qui corpus suum subegit, & seruie docuit, ut possit dicere, Quandoquidem probat onem quæritis eius, qui in me est Christi. Qui enim talis est, audet à Christo, bonus homo, ex bono cordis sui thesauro depromit bona. Anomæus. Si bonus est homo, qui ex corde suo bona depromit, quomodo nullus bonus est nisi vnus, nempe Deus? Orthodoxus. quoniam Deus non est bonus, participatione bonitatis, sed est ipsamet bonitas: homo vero bonitatis participatione bonus est. Anomæus. Angelus vero, nonne sunt naturæ boni. Orth. Naturæ nequequam, participatione sic. Nam quod natura bonum est, non mutatur, quantum ad id quod est natura. Anomæus. Ut quid? Orthodoxus. Homo naturæ non mutatur (neque enim fit alud natura) sed studio & moribus mutatur, siquidem cum in bonum, modo malum videbis: ut Paulum, modo quidem petecutor, modo vero Evangelii præconem: & eundem modo Christi discipulum, modo prædicator, ut illam: & Angelos, modo quidem malos, modo vero bonos. Anomæus. Num vero Angeli modo mali, modo boni? Orthodoxus. Scriptura inquit, Etenim si Angelis, qui peccarunt non pepercit. At si peccarunt, certe exciderunt bonitate. In vniversum denique res omnis condita Deo digna, & est, & dicitur bona, ob participationem bonitatis. Deus vero qui bonus est naturæ est, ipsamet bonitas. quæ mobrem etiam nemo bonus nisi vnus nempe Deus. Anomæus. Ergo filius bonus est, ut Pater? Orth. Pater & filius sunt vnus Deus, non hypostasi, sed eadē essentia ratione. Vt omnes homines sunt vnus in Christo, non hypostasi, sed ratione essentia, & ob concordiam. Anomæus. Enimvero, an non est aliud hypostasis, aliud essentia? Orthodoxus. Aliud & aliud dixi, non tamen ut rem aliam & aliam, sed quod hypostasis quidem aliud quiddam declarat, aliud vero essentia. Ut granum frumenti dicitur & est tum semen tum fructus, non ut res alia atque alia: aliud enim declarat semen, aliud fructus, quoniam semen quidem futuræ culturæ semen, fructus vero est præteritæ culturæ fructus. Anomæus. qui d est essentia, & quid est hypostasis? Orthodoxus. Essentia declarat communem. Et si quid est essentia proprium, id quoque commune est hypostasis, quæ essentia subsunt. Hypostasis autem, præterquam quod numerum admittit, proprietatem habet minimè communem hypostasis, quæ essentia subsunt. Anomæus. An non vero essentia proprietatem habet? Orthodoxus. Neque proprietatem habet non communem hypostasis, quæ essentia subsunt, neque numeri multiplicationem admittit, cum sit vnica & singularis. Quidquid vero numeri multiplicationem admittit, omnino proprietatem habet: & quod proprietatem habet, numerum admittit. Ipsa enim proprietates numerum inducit. Anomæus. Non intelligo quid dicis planius loquere. Orthodoxus. Patris essentia dicitur esse immortalem, & incorruptibilem & inuisibilem, & mundi architectatricem, Deum denique: Anomæus. Etiam Orth. & filium similiter dicis immortalem, incorruptibilem,

possibile, inuisibile, mundi architectum, Deum denique? *Ans. Sane. Orth.* Sicut ergo patris essentiam dicis immortalē, incorruptibilem, inuisibilem, mundi architectum, nonne ita & filium eandem essentiam dicis? *Ans. Sane. Orth.* Filium autem nunc vocas patrem? *Ans. Nequaquam. Orth.* Pater ergo non est proprium quiddam essentiae, sed hypostasis. *Ans. Quomodo? Orth.* Quoniam quæ propria sunt essentiae, similes sunt communia Patri & Filio & Spiritui sancto. Pater autem non est commune quiddam, non est igitur Pater proprium essentiae, sed hypostasis. Quod si aliud est proprium hypostaseos, & aliæ sunt proprietates essentiae, non idem signifi- carentur essentia, & hypostasis.

Quæ relecti intelligit quomodo Ariani oppug-
nare Catholicos soliti sunt, quamque locus hic in-
ter præfatos fuerit iactatus, diabolo vbique rem suam
agenti, & nostris etiam temporibus Arianis in Tran-
sylvania fluentibus veterum errores renouantur. Mi-
ras est Beze hoc loco paralogismus, Appositissimus est
hic locus ut, qui suis meritis vilo modo gloriantur ad per-
fectionem doctrinæ legalis ex legislatoris maiestate, non ex eis
quæ ipsi se præstuisse somniant æstimandam reuocandis, ne-
dum vt sita doctrinæ meæ in hunc album referant. Re-
spondendum est: Nulli vilo modo suis meritis glorian-
dum esse, cum enim fundamentum meritorum, sit
gratuita gratia creatoris, cum ipsa merita sint dona
Dei, & Christi Spiritus auxilio collata non potest me-
ritis quicquam gloriari. Non sequitur ideo merita
nulla esse, si solus Deus sit bonus: Neque sequitur,
idcirco non esse merita, quod perfectio doctrinæ legalis,
sit ex legislatoris maiestate æstimanda, non ex ope-
ribus nostris. Neque enim opera nostra merita
esse dicimus ex se seu natura sua, sed ex maiestate legi-
slatoris, adiutoris, acceptatoris ad ea concurrentis
ex promissione benenolentissima, qua fit vt im-
perfectis operibus premia tanquam meritis largi-
atur. Contra id Vorstius magis ad Catholicos in hac
controversia accedit. Non negamus, inquit, bona ope-
ra nostra, esse vere bona sancta, pura & Deo grata: sed
negamus adeo pura & perfecta esse, vt sua propria perfectione
inducto Deo exactè respondere, ac vitam æternam ex con-
dignis meritis possint. Negat etiam opinionem Caluini
notorum præcipue niti verbis Isaac. vbi iustitias no-
stras comparat panno menstruato. Nam multos suo-
rum P. Victorio silenti. Denique concludit, [Ita-
que etiam nullam nobis succendi causam habet,
& quod dogma de meritis nostris in hac iustificationis
& salutaris æternæ materia constanter repudiamus;
& quoniam nihil aliud hic damnemus, quam superbiam il-
lam de propria nostrorum operum dignitate opi-
nionem, quæ inane[m] quamdam fiduciam & gloriatio-
nem in nobis ipsis secum trahere solet.]

Hanc opinionem nos quoque damnamus, nec tamen deo propter dictum meritum negamus. Nam opere facto debitum est ex diuina promissione. Glorificatio autem omnino tollitur, cum dicimus omne meritum esse donum Dei ex gratia adoptionis, adiutorio speciali, denique dicimus requiri promissionem gratuitam, sine qua nullum meritum agnoscamus. Et Bellarminus docet, lib. 5. de iustis. cap. 14. Vorstius tamen Bellarmini sententiam non recte interpretatur. Verba Bellarmini sunt, lib. 5. de iustificatione, cap. 17. Nobis media sententia probabilior esse videtur, quæ docet opera bona infortun meritoria esse vite æternæ ex conditione ratione pacti, & operis simul. Non quidem quod sine illa opera pacto vel acceptatione non habeat opus bonum proportionem ad vitam æternam, sed quia non tenetur Deus acceptare ad illam mercedem opus bonum, quantum par & æquale mercedi, nisi conuenio interueniat. Quam sententiam conformem

esse non dubitamus Concilio Tridentino, & Principibus Theo-
logorum sancto Thome in 1. 2. questione 114. articul. 1. ad
3. & articul. 3. sancto Bonaurenture, & alii in 2. sentent.
dist. 29.

Paſſum igitur requirunt omnes, nam ex ſolo paſſo debitum fit.

Hoc vero cap. 18. exponit: Vt dicat non requiri aliquam æqualitatem inter opera & mercedem, sed proportionalem, vt d. gnius sit præmio quodam proportionem. Nec tamen hoc est substantiæ operum aut vi dignitatis operum, quæ enus sunt actiones quædam agentis ratione vtentis, sed vt a Dei gratia & supernaturali auxilio Spiritus sancti procedunt, atque hanc vocamus proprie operum dignitatem.

QVÆSTIO II.

*An ad vitam ingredi volenti seruanda sint
mandata?*

§. 1. **T**a Christus pronunciat, & ratio suadet. *Qui enim à Deo tantum præmium expectat, opus est vt legibus quæ ipse fixit, obtemperet. Cum interrogat quæ sint manda a, haud fide id facit, existimat enim quædam singularia Christum propositurum. Deesse autem aliquid putabat, vt ait Chrysostom. Homil. 16. in Epist. ad Hebræos. Non pates dicere non Christus nō possum, neque accusare condiderem, si enim impotentes non irrisit adfect, & deinde imperet culpa eius est : Quomodo ergo, in-lescentem quis, multi non possunt : quomodo ergo multi volunt : si enim voluerint omnes poterunt : Habemus quippe cooperato-rem, & adiutorem Deum : tantum velimus, tantum opere ac- cedamus ad rem ipsam.*

§. 2. Quæ Calvinus hoc loco de fictis d. uotionibus, de bonis operibus de lege seruanda nugatur, meræ calumnie sunt. Non enim nos aut operibus sine gratia factis, aut fictis vitam æternam mereri nos dicimus, sed mandatorum obseruationem dicimus ad salutem necessariam, & Christum id serio docuisse, non ludibrio habuisse adolescentem, si enim mandata per Dei gratiam seruati non possunt, & iocatus est Dominus, quid tandem certi in factis literis inuenimus?

VERSUS 19.

*Honora patrem tuum & matrem
tuam: & diliges proximum tuum
sicut teipsum.*

QVÆSTIO I.

*An illa particula addenda sit. Et proximum tuum
sicut teipsum?*

§. i. Q Vadam exemplaria habent *ἡμεῖς* vs, sic
& nos ter legit; est in regis: multa græca o-
mittunt. Origenes omitterund censet, & proximi-
um sicut teipsum, siue vt Syrus habet *אני ואנשי*
Aich naphschach, sicut animam tuam. rationes adfert pa-
rum solidas. Nempe apud Marcum & Lucam omit-
tit. Verum nouit ipse ylitatum esse, vt vnus Euan-
gelista omitat, quod alius recenset, aliqui ex Marco
delegendum esset, quod ait in hac eadem historia, ado-
lescentem in genua procidisse, Iesum eum dilexisse.
Quin etiam Marcus addit *ὅτι οὐκ ἔστιν ἐν τῇ συγγένει*, ne fraudem se-
cerit, quod tamen in Matthæo non est, nec ideo tamen